



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XXIV. Pelagio dicto a Serotino Presbytero.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

## C A P U T X X I V.

Pelagio dicto<sup>a</sup> Serotino Presbytero.

**P**etitio tua nobis exhibita continebat, quod cum inimici crucis **Dominicæ**, ac blasphemii nominis Christiani, castrum quoddam, in quo morabar, graviter invasissent, ex eundem inde habitatoribus, tam clericis, quam laicis contra eos & invicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi extiterunt. Unde cum eo, quod aliquos percutisti, irregularitatem metuis incurrisse, nobis humiliter supplicasti, ut quid agere debeat, tibi scribere dignaremur: quo circa disc. t. m. quatenus si de interfictione cuiusquam in illo conflitu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.

## N O T Æ.

<sup>a</sup> **Serotino**) Ita legitur in quinta compilatione Honori III. sub hoc tit. cap. final. ex qua textum hunc transcribo.

## C O M M E N T A R I U M.

I. **E**x hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clericus pugnando in bello, etiam contra inimicos fidei, si quemquam percuferit, irregularis manet.* Quam conclusionem probant textus omnes in quibus prohibetur clericis in bello dimicare, militiaque nomen dare, cap. clericorum cap. debitis, cap. eos qui, 20. qu. 3. cap. clerici, cap. qui cumque, t. ex multa, de voto, c. porro 1643. c. quisquis 17 qu. 4. c. in audiencia, de sent. excom. can. 83. Apoll. Concil. Chalcedon. can. 7. ibi: *Eos qui semel in Clero cooptatis sunt, & monasticam vitam experierunt, statim nec ad militiam, nec ad sacerdalem dignitatem venire, aut hoc audentes, nec parentes agentes, ut ad id revertantur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari.* Heraldus ius suis Capit. can. 50. ibi: *Vi presbyteri & diaconi, si in bello cum armis processerint, ita deponantur, nec laicam communionem habeant.* Concil. Andegav. 4. celebratum anno 453. can. 5. ibi: *Si qui clericorum tradendis, vel capendiis civitatibus fuerint interfusse detecti, non solum à communione habeantur alieni, sed ne conviviorum quidem admittantur esse participes.* Turon. 1. can. 5. *Si quis clericus reliquo officio suo ordine laicam voluerit agere vitam, velse militiam tradiderit, excommunicationis pena feratur.* Toletan. 4. can. 44. Toletan. anno 1473. celebratum temporibus Sixti IV. can. 15. Matric. c. 3. Concil. Francicum, seu Germanicum celebratum sub sancto Bonifacio Moguntino, ibi: *Servos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, vel hostem pergere prohibuimus omnino.* Mogunt. 1. sub Leone II. can. 17. ibi: *Nos qui relinquimus sacerdotium, id omnibus modis observare volumus, ut arma spiritualia habeamus, secularia dimittamus.* Meldenf. sub Sergio II. anno 845. *Quicunq[ue] ex Clero esse videntur, armamilitaria non sumant, nec armati incedant.* Concil. Suevionense can. 3. *Abbes legitiimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmitat.* Meldenf. tempore Arnulphi Regis anno 890 can. 3. Triburiente can. 27. Andegavense celebratum anno 1060. Praeside Stephano Cardinali Legato Nicolai II. can. 7. *Quicunq[ue] clericorum deinceps in armis militaribus militaverint, & beneficium, & consortium clericorum amittant.* Sanctus Innoc. I. epist. ad S. Vitricum,

cap. 2. D. Gregorius lib. 7. epist. 1. Zacharias Papa epist. 3. ad Francos, Hadrianus I. epist. ad Carolum Magnum, quæ est 77. in collectione Gretheseri. Nicolaus I. in epist. ad Michaellem Imperat. Joan. VIII. epist. ad Angelbergam Imperatricem. D. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 2. extravag. 1. de majorit. & obed. Firmant plures sancti Patres, quorum verba & facta refert Theophilus Raynaud. tom. 17. in tr. de religioso loricato, apod. 3. & 4. Illustrant Chopinus lib. 3. de sac. pol. tit. 2. num. 3. Landwester. lib. 2. de veteri clero, cap. 25. Dartis ad 25. quæst. 1. de bello, cap. 4. Montaynus in tract. de armis cleric. Covarr. in Clement. si furiosus, part. 2. §. 3. num. 2. Gutierrez. lib. 2. 99. canon. cap. 6. Petrus Gregor. lib. 3. de repub. cap. 3. num. 23. & lib. 3. Syntag. cap. 22. num. 4. Petrus Bellinus de re milit. tit. 8. num. 3. Tambur. de jure Abbat. tom. 5. disp. 12. quæst. 5. Avila de censur. part. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 2. Suarez eod. tr. disp. 47. sect. 6. num. 9. Molina de insit. tract. 2. disp. 111. conclus. 2. Barbosa lib. 3. juris Eccles. cap. 4. Rousselius lib. 7. histor. Pontif. juris d. cap. 6. num. 5. Diana part. 10. tract. 2. per totum. Gibalinus de irregul. cap. 4. difficult. 4. fusæ & doctæ Theophilus Raynaudus dict. tom. 17. de religioso loricato. Grotius lib. 1. de jure belli, cap. 5. Eusebeus lib. 2. digress. cap. 5. Acunna in principio 21. disp. Amaya in 1. 31. Cod. de Decur. Balsamon in can. 43. S. Basil. Suarez de charitate disp. 13. sect. 3. Burgenf. 1. obser. 19.

2. Sed pro dubitatione in præsentem assertiōnem ita insurgo: clericos ac religiosos licet impugnare in bello defensivo, justo, & necessario dimicare natura posse, constat; siquidem bellum defensivum superponit inferri vim, quam quilibet repellere valet, assertio servato moderamine inculpatu tutele, ut probavit supra in cap. 2. & in cap. significati 18. & latè firmant Robertus Arboriensis tom. 2. de utroque gladio, theorem. 9. pag. 278. quo casu errant clericos cogi ad vigilias faciendas in muris, probavit in cap. 2. de immunit. Eccles. Et licet iuxta sacros canones Ecclesia non possit incastellari, id est converti in propugnaculum, vel arcem contuta hostes, cap. sanctorum 10. quæst. 2. ut communiter docetur in cap. cum Ecclesia, de immunit. eccles. tam in bello defensivo fas esset Ecclesiæ uti pro arce docuerunt Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 4. num. 17. Layman. lib. 4. summe, cap. 7. tract. 10. n. 8. & ita clericos licet, & impunè possent bello defensivo pugnare, probavit Andreas Gaillus lib. 1. de pace, cap. 8. num. 23. Azor. tom. 3. insit. lib. 2. cap. 16. quæst. 8. Molanus lib. de jurement. tyranni, cap. 9. Cælius Mancinus lib. 6 de juriibus Princip. cap. 11. & variis exemplis sanctorum virorum probat

bat Theophilus *dicit tract. de relig. loricato*, pag. 216. *cum seg.* Sed in praesenti casuagebarur de bello defensivo contra inimicos Ecclesie, qui invaserunt castrum, in quo morabatur Serotinus presbyter. Igitur potuit Ipse licet, & impunè se defendere: & si in tali bello aliquos percussisset, non idē peccavit, & per consequens nullam irregularitatem contraxit. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam in bello aggressivo plerisque in regionibus ecclesiasticos, piosque viros operam dedisse legimus apud Gregor. Turon. *libr. 4. hist. apud Aymonum lib. 5. cap. 40. & 41.* Godefridum monachum anno 1167. & 1237. Rodericum Tolent. *lib. 8. cap. 39. & 10.* Gomezium *lib. 4. de gestis Francisci Ximeni*: ex quibus varia exempla referunt Diana *dicit. part. 10. tract. 2. refol. 4.* Castillo *de ter- tio tom. 7. cap. 9. num. 95.* Theoph. Raynaud. *ubi suprà. apod. 7.* Igitur quia generaliter, & indistincte prohibitum non est clericis, & Ecclesiastum Prælatis bellis adesse, ac contra hostes, præcipue Saracenos, ac haereticos pugnare.

**3.** Quā dubitandi ratione ita fulcitā non obstante, vera est præfensi assertio: pro cuius expositione *riis beli* omisssis his, quæ de bello adduxi *incap. sicut 29. de li. diffe- jurejur.* scendum est, bellum aliud esse aggressivum, aliud defensivum: bellum aggressivum seu offensivum vocatur illud quo alius impetratur; defensivum autem quo quis se ab imponente tuerit, vim vi repellens; & ita haec insurrexio ad tutelam, & defensionem, non ad aggressiōnem pertinet. Item bellum aliud est iustum, aliud iniustum. Justum est quod à legitima potestate, & justo titulo, necessitate quadam suscipitur; iniustum verò, quod deficientibus his conditionibus geritur: de qua justitia in bello necessaria latè egerunt Victoria *relect. 6.* Molina *de justit. tract. 2. disput. 98.* Ayala, Alberic. Gentil, & Hugo Grotius *de jure belli.*

**4.** Deinde sciendum est, in bello considerari variæ opera: primò actionem ipsam bellandi, quæ clericis omnino prohibetur: secundò functiones alias, quæ per clericos, & religiosas personas obiri possint, veluti comitari exercitum ad causas militares de jure tractandas, ad annonam ministrandam, sumptusque bellicos suppetitandos, necnon ad consilium circa bellica negotia pro Ecclesia utilitate præbendum: quod facile probatur *ex ca. ex multa. de voto. cap. quod hortatu 13. quest. 8.* Item comitari possunt exercitum ad Missarum solemnia celebranda, & sacramenta administranda. Concilium Francicum celebratum sub Carolo Magno Principe, præsente sancto Bonifacio anno 742. Unde cùm vetitum esset ne servi Dei adfarent exercitu, excipiuntur illi tantum, qui propter divinum ministerium, & sanctorum patrocinia ad hoc electi sunt. Facit Decretum Caroli Magni apud Aventinum *libr. 1. annal. Bojorum.* ibi: *Nemo sacri initatus, divinisque ministeriis manipulatus arma omnino ferat aut in bellum, aut in hostem pergar: unus, aut ad summum duo Episcopi delecti saffragio, cum suis sacerdotibus Principem comitentur ad bella sacrificandi, comprecandique causā.* Eriam possunt exercitui adesse ad gestandas reliquias Sanctorum, inter quas solenne erat Francis gestare cappam D. Martini. W. alfridus Strabo *de rebus Eccles.* cap. ult. ibi: *Diei sunt primitus Capellani à cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutoriorum victoria in præliis solebant secum habere: quam ferentes, & custodiendis cum cæteris Sanctorum reliquiis, clerici Capel-*

*lani cœperunt vocari.* Monachus Sangallensis *lib. 1. de vita Caroli Magni. cap. 4.* ibi: *Capelle nomine Francorum Reges propter cappam sancti Martini, quam secum ob sui uitiationem, & hostium oppresionē jugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* Item possunt Crucem præferre, quem morem variis exemplis illustrat Grethserus *lib. 1. de cruce. cap. 90.* Mariana *lib. 1. hist. Hispanie. 24.* Theophil. Raynaud. *de religio loricato*, pag. 21. qui idem probat de prælatione facie lancee. Item Clericis, & Religiosis licet assister bello aggressivo absque pugna. Unde innumeri Episcopi acceptā *Cruce militiæ nomina dederunt* in variis expeditiones cruciatas adversus Saracenos, & haereticos, ut illustrat Grethserus *tom. 1. de Cruce, & lib. 2. in apolog. pro expeditionibus cruciatis, cap. 7.* Nec ita assistentes, horanteque milites ad strenuè pugnandum, absque specifica sanguinis intentione, ut fecerunt D. Gregor. epist. 21. & 22. Ianetus Leo IX. *cap. omni timore, 23. quest. 4.* ullam irregularitatem contrahere constat *ex cap. Maximiianus. 23. quest. 3.* & probant S. Thomas 22. qu. 40. art. 2. Suarez de *censur. disput. 47. sedl. 6. num. 8.* Molina *tract. 2. de justit. disput. 108.* Valentia 22. *disput. 3. quest. 16. punt. 4.* Gutierrez *lib. 2. canon. cap. 6. num. 52.* Navarrus *in manuali cap. 27. n. 2. 15.* Covarr. *in Clement. si furiosus, part. 2. §. 3. num. 2.* Nec contrarium docet Innocentius *inc.* *quod in dubiis, de pacis,* dum ait enormiter peccare, ac deponendum esse clericum, qui alios incitat ad pugnam, id enim intelligendum est de incitatione ad pugnam injustam, vel cum sanguinis specifica intentione, aut etiam determinatione animi singularis personæ hostilis, quæ confondiā, aut mirlanda designetur, ut docent Suarez *disput. 47. sedl. 6. num. 8.* Lorca *disput. 5. de charitate, num. 22.* talis enim adhortatio ad unam aliquem determinatē occidendum, vel mutilandum inducit irregularitatem, quod non facit confusa adhortatio ad strenuè pugnandum, & hostes (*si advertentur*) generosè obructandos; quia hoc perinde est, atque hortati ad strenuè incumbendum in adceptione victoriae, & ejus obice repellendo; quod non est specificè intendere sanguinis effusionem. Latius prosequitur Theophilus *dicit. tom. 17. de relig. loricato, pronunc. 2.*

His suppositis ratio præsentis prohibitionis, quare videlicet clericis non licet in bello aggressivo dimicare, provenit ex avertione, quam Ecclesia habet à sanguinis effusione, ita ut nulli Ecclesiæ ministri licet humanum sanguinem fundere, ut probavi *in cap. sententiam, ne clerici vel monachi.* Unde nec arma deferre possunt, clerici arma, ubi probavi, *de vita & honestat. cleric.* Quare Ecclesia jam à primis ejus seculis prohibuit clericis militiæ nomen dare, can. 8. *Apost. ibi: Episcopns. vel Presbyter, vel Diaconi, qui militie vacaverit, & simul utrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quam functionem sacerdotalem deponitor: qua exim Cœsar is sunt, Cœsari, & qua Dei, Deo.* Et licet Ballamon ibi referat canonom illum ad ambitum cuiusque præfecturæ secularis, eo nixus fundamento, quod vox Latina militia, & quæ comprehendat dignitates Palatinas, quam Castræ, ut constat *ex L. C. detabularii, 1. 7. & 12. Cod. de proximis sacer. scrib. & ex Lu- cano in Panegyrico Calphurnii Pisones.*

Tamen et si bellaquierunt,  
Non periret virtus, licet exercere togata  
Munera

Munera militia: licet & sine sanguinis han&tu  
Milia legitimis sub judice bella movere.  
Hinc quoque servi consurgit gloria civis,  
Altaque viu&trices intexunt limina palmae.  
Probat Bifcioli lib. II. horar. succes. cap. 3. Iure-  
tus ad Symmachum, epist. 15. tamen militiam in  
eo canone propriè pro armata militia, non pro  
rogata accipit Theop. Raynaud: dict. de  
religio&loricato, apod. 1. Facit etiam exemplum  
Gentilium, qui suos qualitercumque sacerdotes  
à bellis omnino separantur. Lipsius lib. I. de militia  
Romana, dialog. 4. Valerinus de remilitari cap. 5.  
Immo jure civili Flaminii Diali classem procin-  
ctam extra pomerium, id est exercitum armatum,  
ne videre quidem fas fuit, ut refert Gellius lib. 10.  
militum cap. 15. addens idcirco Flamen raro Con-  
sulem creari, quia bella Consulibus mandabantur;  
immo è bello redeentes non aliter sacra conting-  
re poterant, quam præmisâ purificatione. Sene-  
cani hercule Furenti, ibi:

— Manantes prius

Manus cruenta cede, & hostili expiâ.

Et Virgilius lib. 2. Aeneid. digressum è justo bello  
Aenam, non ausum facia contingere ante purifica-  
tionem ita describit.

Tu genitor cape sacram manu, patrioq; penates;

Me bella tanto digressum, & cede recenti,

Atrectare nefas, donec me summine vivo

Abuero.

Quem morem Gentilium eleganter pro confirmatione praesentis assertio[n]is expendit Origenes lib. 8. contra Celsum, his verbis: Quod utique si ju-  
rediceri apud istos vident quan*to* magis vel alii  
militantibus, & nostri homines, ut Dei sacerdotes,  
preces, & vota subministrando probis, haud dubie  
sunt orando potissimum, quam belligerando militaturi,  
qui bella iusta gesserint, & rectius dominentur, ut  
hostilia cuncta, & his adversantia, qui iustiores sint,  
villani & medio? Nos vero precano, supplicando  
longe magis demones omnes, qui vel pralia exerci-  
tant, vel ius in rando confundunt, vel pacem per-  
turbant, dum perdimus, Regibus ipsis presidio su-  
mus, quam si bella gerere videremur. Rebus præte-  
rea publicis cum catena una & nos infundamus,  
quia aquitate servata, cum operibus & vota of-  
ferimus, & multa meditando conscribimus, que ad  
voluptatis contemptum instituunt, ut ab iis duci se  
nihil homines sinant. Nos, inquam, & pro Imperatore  
longe acris bella suscipimus; & sicum eo non mili-  
tum, privatim tamen interea ejus ob gratiam mi-  
litia munere fungimur. Hoc est pietatis, & cultus,  
cum Deum precano & votis hunc enix&juvamus.  
Quod si velis insuper Celsus pro patria nos depugna-  
re, intelligat id ipsum nos sedulò facere, non ostenta-  
tio, & gloriae cupiditate ab omnibus vendicanda;  
sq[ue]ndem de uoframentis recondito preces fundun-  
tur, ut per sacerdotem propria tutanda emissa.  
Unde bella factis Ecclesiæ ministris infelicitè cede-  
re pluribus exemplis probat Theop. ubi supra, apod.  
8. per totam. Facit ratio, quam perpendit D. Thom.  
2. 2. qu. 40. art. 2. nam clerici, catericus Ecclesiæ  
ministratio fui status addicuntur cultui divino,  
qui magnam peti animi quietem, & separationem  
at tumultu: at qui bellum suapte natura est quid in-  
quietum, & tumultuosissimum, ut graphicè exhibet  
fanctus Chrysost. lib. 7. de sacerdote, ad finem. Ergo  
bellum abhorret ab statu clericali, & clericus, qui  
illi implicatur, peccat contra statum proprium.  
Prosequitur alias rationes praesentis prohibitionis  
Theophilus ubi supra apod. 9. per totam.

Affine argumentum est, quod deduci potest ex  
sæc[t]itate templi Christiani, quæ tanta est, ut in  
eo homicidium quantumvis justum perpetrare, vel  
noxiū sanguinem effundere sacrilegum sit, &  
templi pollutionem inducat, etiæ tale homicidium  
ex parte occisi Deo sit acceptissimum, ut  
contigit in nece S. Thomæ Cantuariensis, ut pro-  
bavi in cap. proposuisti, de consec. Eccles. Atquilon-  
ge intiu&or est nexus personæ ad sacrificium quo-  
quo modo intervenientis, quam templi; nam tem-  
plum est mera circumstantia extrinseca inanimata,  
nil influens in sacrificium; persona vero est eius  
causa efficiens, vel cooperans: quare majus piacu-  
lum erit pollui personam caede humana, quam  
locum. Accedit, nam si in diebus sanctitate festis  
non licet bellare, etiam si bellum justum sit, ne  
effusione humani sanguinis diei sanctitas quodam-  
modo polluantur, ut probavi in cap. de trengia, &  
pace, quanto magis abhorret à persona sacra quo-  
unque tempore ea effusio? Videatur enim per se  
evidens intimus jungi cum ea affusionem sanguini-  
nis, quam ipsa causat, quam cum tempore, quod  
merit extrinsecus adjacerationi, ut recte perspexit  
Nyssenus homilia 7. in Eccles. Igitur ea actio mul-  
to magis contaminabit personam sacram, quam fe-  
stum diem, ac profinde effit à Clericis omnino evita-  
nda. Quarum rationum breviculum conficit Petrus  
Joannes Oliv. Ordinis Minorum, quodlibet 1.  
quest. 19. Si ergo clerici fui status inmemores, con-  
tra tot Ecclesiæ leges militia nomen dederint, ac  
bellum gerent, seu in eo pugnare presumperint,  
variis ponis afflictionis. Primo letaliter peccant,  
ut probant Valentia 2. 2. disput. 3. q. 16. punto 4.  
Lælius Zecchius de Repub. Eccles. cap. 30. vers. 3.  
num. 35. Joannes Capistran. in tract. de potest. Pa-  
pa, part. 2. secunda partis princip. num. 196. quod  
& ad quosvis clericos beneficiarios in minotibus  
ordinibus constitutos extendunt Graffis de effeci-  
bus clericorum. 28. Suarez in 2. 2. disput. 13. de cha-  
ritate, sect. 3. num. 5. Azor tom. 2. in finit. lib. 2. cap. 16.  
quest. 3. Diana part. 6. tract. 4. resol. 33. Deinde re-  
regularis manent quantumvis bellum justum sit:  
item privilegio canonis privantur, ita ut eos per-  
secutientes excommunicationem non incurant, cap.  
contingit, cap. in audience, de sent. excom. Sylve-  
ster in summa, verbo Bellum 3. num. 1. Sayrus lib. 3.  
thesauri, cap. 27. num. 8. & si in bello deceaserint,  
suffragii Ecclesia non juvantur, nec oblatio pro  
eis admittitur. Concil. Tribur. relatum in cap.  
quicunque 3. quest. 8. ibi: Quicunque clericus,  
aut in bello, aut in rixa, aut in gentilium ludis  
mortuus fuerit, nec in oblatione, neque in oratione  
pro eo postuletur, sed in manus incidat judicis, se-  
pultura tamen non privetur. Quam sepultura con-  
cessionem meritò admittit Molina tract. 2. de just.  
disput. 108. sub finem; si ante obitum eos penitue-  
rit, & pie obiisse videri possint.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta:  
nam licet verum sit iuxta proxime tradita, cleri-  
cum in bello defensivo pugnantem irregularia-  
vitur virtutem non contrahere, tamen ultra defensionis justi-  
tiam eo casu ut clericus pugnet, vel regat bel-  
lum, debet intervenire necessitas, nec qualiscul-  
que sufficit, sed summa desideratur; quia nec in  
defensivo quidem bello probandus est ultroneus,  
& lubens clericorum ad bellandum occursum,  
quippe abhorret ab eorum statu, & graviter ma-  
lus, nisi necessitate inevitabilis excusat, & si  
etiam inevitabilis necessitas, si non superant alii,  
qui possint, aut velint exercitum ducere, aut mi-  
litaria

litteraria munia obire , ita ut certò , vel admodum probabiliter defutura sit iusta defensio , nisi Religiosus ad bellum defensivum regendum , aut gerendum accingatur : & extra hujusmodi necessitatem peccant lethaliter , & irregulares sunt clerici bellicis negotiis se implicantes , quia canones , qui clericos arcere à bello , non minus vigent hoc casu , quam in bello aggressivo . Et ratio ducta ex natura status clericalis abhorrentis ab effusione humani sanguinis idem evincit . Quia omnia defuerant in praesentis textus specie , cum essent alii laici , qui possent castrum defendere ; unde clericus , et si in bello defensivo pugnaret , tamen erat absque necessitate , & per consequens irregularis manebat . Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ex variis exemplis piorum virorum , qui bellis interfuerunt ; nam vel referenda sunt exempla illa ad pravos mores illius saeculi , vel ad necessitatem belli defensivo , aut supponenda est licentia Romani Pontificis ; nam ex ejus voluntate , & dispensatione rectè possunt Praelati etiam maiores Ecclesiastici bellum ducere , ac regere , ut pluribus relatibus probat Theophilus dicto tract. de religioso toricato , apod. 10. §. 3. Diana part. 10. tract. 2. refol. 3.

8. Sed supra traditis adhuc obstat Concil. Illerdense relatum à Gratiano in cap. de his 36. 50. diff. Exposito clericis , qui intra civitatem obfessi sanguinem hostilem fuderant , à communione per biennium his clericis arcentur , pénitentia illis injuncta . Igitur quia nec in bello defensivo licet clericis propriâ manu 50. diff.

pugnare . Pro cuius canonis expositione dicendum est , quod eti in bello defensivo liceat cuicunque , etiam clericis , arma sumere , tamen si homicidium perpetraret non servato moderamine inculpare tutela , vel quia absque necessitate clericus bello se immiscerit , aut cum posset invasorem absque cede declinare , maluit eum confodere , irregularitatem homicida contrahit , & peccat lethaliter ; quia tunc supergreditur justam defensionem , & potius intendit ultionem , quam necessariam defensionem : de quo homicidio , non servato iusto moderamine commisso , accipiendi sunt D. Basilius in epist. ad Amphiboch. can. 43. ibi : *Qui mortis iustum dedit proximo , est homicida , fave prior percussit , fave ultus est.* Concil. Tribur. sub formosa can. 11. ibi : *Si quis clericus , quamvis nimium coactus , homicidium fecerit , fave si presbyter , fave diaconus , deponatur.* Et cap. presentum de clericis percussore . Et exemplum , quod refert Balasson in dict. can. 43. sancti Basili , de quadam Episcopo , qui depositus fuit tanquam irregularis , eo quod in bello interfecisset quandam Agarenum , qui ense ipsum appiceret . Illi enim textus procedunt juxta presentem casum , videlicet cum homicidium ob defensionem perpetratum fuit , sed absque necessitate , nec servato moderamine inculpare tutela : & ita rectè pro eo pénitentia injungitur , & irregularitas statuitur .

Hinc etiam exponendus est textus in cap. final. de clericis conjug. junctis per me adductis in ejus commentario .

## TITULUS XIII.

### De tornementis.

#### CAPUT I.

*Ex Concilio<sup>a</sup> Lateran.*

**F**elicis memorie Papæ<sup>b</sup> Innocentii , & Eugenii predecessorum nostrorum vestigiis inharentes , detestabiles illas nundinas , vel ferias , quas vulgo tornementa vocant , in quibus milites ex<sup>d</sup> condicto convenire solent , & ad ostentationem virium suarum , & audacia temere congreguntur , unde mortes hominum , & animarum pericula sèpè proveniunt , fieri prohibemus . Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit , quamvis ei poscenti pénitentia non negetur , Ecclesiastica tamen caret sepulture .

#### NOTÆ.

<sup>a</sup> **L**ateran . ) Ita etiam legitur in prima collectio. sub hoc tit. cap. 1. & reperitur textus hic in cap. 20. Concilio Later. Generalis , celebrati sub Alexandro III. de quo Concilio nonnulla adduxi in cap. 27. de rescript.

<sup>b</sup> **I**nnocentii . ) Secundi videlicet , qui in Synodo Romana can. 10. prohibuit omnino tornementa , quæ siebant ad virium ostentationem .

<sup>c</sup> **Eugenii .**) Tertiī videlicet , qui in Concilio Rhemensi can. 12. prædictam constitutionem Innocentii minus exactè servatam restituit per hæc verba : *Temerariam similiter audaciam quorun-*

*dam qui ad detestabiles nundinas , vel ferias ex condicto solent ad concertationem virium suarum convenire , unde hominum sepe pericula proveniunt , omnino fieri interdicimus . quod si quis ibidem mortuus fuerit , viaticum ei non negetur , ecclesiastica tamen caret sepultura . Referrut in cap. 2. hoc tit. in 1. collect. & ab illustrissimo Marique tom. 2. annual. Cist. anno 1148. cap. 4.*

*d* **C**ondicto . ) Alii legunt conduto , alii ex editio , ut noravit Salmutius ad Pancratalem lib. 2. memorab. tit. 20. Sed retinenda est vulgaris lectio , ut etiam habetur in Concilio Rhemensi , à quo accepit Alexander III. nam conditum , ut Festus eodem verbo interpretatur , est simul dictum ,